

1.18.11

*Imp. Constantinus A. Valeriano vicario.*

Quamvis in lucro nec feminis ius ignorantibus subveniri soleat, tamen contra aetatem adhuc imperfectam locum hoc non habere retro principum statuta declarant.

*D. IIII k. Mai. Gallicano et Symmacho cons.*

[a. 330]

1.18.12

*Imp. Valentinianus et Theodosius AA. Flaviano pp. Illyrici et Italiae.*

Constitutiones principum nec ignorare quemquam nec dissimulare permittimus.

*D. VI k. Iun. Vincentiae Tatiano et Symmacho cons.*

[a. 391]

1.18.13

*Imp. Leo et Anthemius AA. Erythrio pp.*

Ne passim liceat mulieribus omnes suos contractus retractare in his, quae praetermiserint vel ignoraverint, statuimus, si per ignorantiam iuris damnum aliquod circa ius vel substantiam suam patiantur, in his tantum casibus, in quibus praeteritarum legum auctoritas eis suffragatur, subveniri.

*D. k. Iul. Marciano cons.*

[a. 472]